



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Cap. L. Qvis Modvs Divinam Comparandi scientiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

## CAP. L.

QVIS MODVS DIVINAM COM-  
parandi scientiam.

§ Angelicus Doctor B. Thomas Aquinas opusc.  
68. diuinæ Sapientiæ studio quædam præ-  
feribit fugienda & quædam consecretanda. Vitanda  
sunt hæc: Multus sermo, curiosa in res alienas & diuinas in-  
quisitio: nimia familiaritas, discursatio. Adhibenda verò &  
amplectenda sunt: Conscientia puritas, precatationis studium, so-  
litudinis amor, morum amabilitas, Sanctorum ac honorum i-  
mitatio, non dicentis, sed dicti consideratio, res audicione perce-  
ptas intelligendi cura, & memorabilium rerum ad memoria  
thesaurum appositio.

Quid vitan-  
dum facien-  
dumq; sapi-  
entia aman-  
ti.

§. Similiter apud Ioannem Cassianum collatione  
14. cap. 10. diuinæ percipiendæ sapientiæ præclara dat  
documenta Nestorotes Abbas: Festinandum, inquit, ti-  
bi est, si ad veram Scripturarum scientiam vis peruenire, vt hu-  
militatem cordis immobilem primitus consequaris, qua te non  
ad illam que inflat, sed ad eam que illuminat scientiam, chari-  
tatis consummatione perducatur. Impossibile namq; est immun-  
dam mentem donum scientiæ spiritualis adipisci, Et idcirco om-  
ni cautione deuita, ne tibi per studium lectionis, non scientiæ  
lumen, nec illa perpetua, qua per illuminationem doctrinæ pro-  
mittitur gloria, sed instrumenta perditionis de arrogantis va-  
nitate nascantur. Deinde hoc tibi est omnimodis euitandum, vt  
expulsa omni sollicitudine & cogitatione terrena, assiduum te,  
ac potius iugem sacre præbeas lectioni, donec continua meditatio  
imbuat mentem tuam, & quasi in similitudinem sui formet, ar-  
cam quodammodo ex ea faciens Testamenti, habentem in se sci-  
llicet duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetua  
firmitatem: vnam quoq; auream. hoc est, memoriam pu-  
ram atq; sinceram, qua reconditum in se manna perpetua tena-  
citate

Animi de-  
missio.

Mentis pu-  
ritas.

Studii assi-  
ditas.

citate conseruet, spiritualium scilicet sensuum, & angelici illius  
 panis perennem caelestemq; dulcedinem, nec non etiam virgam  
 Aaron id est, summi veriq; Pontificis nostri Iesu Christi saluta-  
 re vexillum, immortalis memoria semper viriditate frondesca.  
 Hac namq; est virga, qua postquam de radice Iesse succisa est  
 viuacius mortificata reuifescit. Hac autem omnia duobus Cher-  
 rubin, id est, historica & spiritalis scientia plenitudine pro-  
 guntur. Cherubin enim interpretatur scientia multitudo, qui  
 propitiatorium Dei, id est, placiditatem pectoris tui iugiter pro-  
 tegent, & à cunctis spiritalium nequitiarum incurfibus obor-  
 brabunt. Et ita mens tua non solum in arcam diuini testamenti,  
 verum etiam in regnum sacerdotale proiecta, per indissolubilem  
 puritatis affectum quodammodo absorpta spiritalibus disciplinis  
 illud implebit pontificale mandatum q; à legislatore ita præcipi-  
 tur: Et de Sanctis non egredietur, ne polluat sanctuarium Dei, &  
 e. cor suum, in quo iugiter habitaturum se Dominus repromittit,  
 dicens: Inhabitabo in eis & inter illos ambulabo. Quamobrem  
 diligenter memoria commendanda est, & incessabiliter reconfir-  
 mada sacrarum series Scripturarum. Hac etenim meditationis  
 dignitas duplicem nobis confert fructum. Primum q; dum in lega-  
 dis ac parandis lectionib; occupatur mentis intentio, necesse est,  
 nullis noxiarum cogitationum laqueis captiuetur; deinde q; in  
 qua creberrima repetitione percursa, dum memoria traderet la-  
 boramus, intelligere id temporis obligata mente non quiescimus,  
 postea ab omnium actuum ac visionum illecebris absoluti, præci-  
 pueq; nocturna meditatione taciti reuolutes, clarius intue-  
 mur, ita vt occultissimorum sensuum quos ne tenuis quidem vigi-  
 lantes opinione percipimus, quiescentibus nobis, & vel sopore  
 stupore demersis, intelligentia reueletur.

Continua  
 Scriptura  
 consideratio  
 binas offeri  
 utilitates.

Purissima  
 conscientia  
 diuina illu-  
 strationis ca-  
 paciissima.

S. De his conditionibus & adminiculis adipiscenda  
 S. doctrina, porro consideremus quid nos doceant  
 Scriptura & S. Patres: Eqdem de conscientia puritate  
 Sap. i. v. 4. 5. Quoniam in maleuolam animam non intrat  
 sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus n. S.  
 disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationib; qua sunt f-

ne intellectu, & corripitur a superuente iniquitate. Ioann. Cass. l. 5. c. 33. Vidimus etiā Abbatē Theodorū summa sanctitate & perfecta scientia pradiū non solum in actuali vita, sed etiam notitia Scripturarum, quam ei non tam studium lectionis, vel litteratura mundi contulerat, quam sola puritas cordis: Et c. 34. Hic ergo quibusdam fratrib. admirantib. tam præclarum scientiæ eius lumen, & ab eodem quosdam Scripturarum sensus inquiringibus, ait: Monachum ad Scripturarum notitiam per-

Ad Scripturam  
a intelligentiam plus  
confertur puritas, quam commentariorū peruolusatio

tingere cupientem nequaquā debere labores suos erga commentatorum libros impendere, sed potius omnē mentis industriā & intentionē cordis erga emundationē vitiorū carnalium detinere. Quib. expulsis confestim cordis oculi, sublato velamine passionū, sacramenta Scripturarum velut naturaliter incipient cōtemplari. Siquidē nobis non vt essent incognita vel obscura, s. Spiritus gratia promulgata sunt: sed nostro vitio velamine peccatorum cordis oculos obnubenter redduntur obscura, quib. rursū naturali redditis sanitati ipsa Scripturarum s. lectio ad cōtemplationē vere scientiæ abundē etiā sola sufficiat, nec eos cōmentatorū institutionib. indigere: sicut oculi isti carnales ad videndum nullius egent doctrina, si modo fuerint a suffusione vel caligine cœcitatatis immunes. Ideo namq. & tanta varietas errorēsq. inter tractatores ipsos exorti sunt, q. pleriq. minime erga purgationē mentis

Cur varia  
interpretatione vel immunditia cordis sui diuersa, atq. contraria vel fidei, vel sibi met sentientes veritatis lumen cōprehendere nequiverunt.

S. De orationis studio Deut. 33. v. 3. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedib. eius, accipient de doctrina illius. Sap. 9. v. 10. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, vt mecū sit & mecū laboret, vt scia quid acceptū sit apud te: scit n. illa omnia, & intelligit & deducet me in operib. meis sobrie, & custodiet me in sua potentia. Eccl. 43. v. 37. Omnia a. Dominus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam. Iob. 28. v. 28. Ecce timor Domini ipsa est sapientia: & recedere a malo, intelligentia: Initium sapientia timor Domini Ps. 111. v. 10. Prou. 1. v. 7. Timor Domini, principiu

Pietas cœlestis doctrinae magistra.

Sapientia



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Sapientia: Sapientiam atq; doctrinam stulti despiciunt. 3. Regum 3. v. 11. & dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut amicum inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium. Et Sapientia 7. v. 7. Propter hoc optauit, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientia. Et cap. 9. v. 10. Mitte illam de caelis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuae, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te. Est enim sapientia Dei donum, & proinde precibus impetrandum.

*Vacatio & quietas à su-  
peruacaneis  
negotio cœ-  
lestis doctri-  
ne perceptio  
necessa-  
ria & mo-  
rum iucun-  
ditas.*

§. De secessus & solitudinis amore ac animi praesentia Ecclesiast. 38. v. 25. Sapientia scriba in tempore quietatis, & qui minoratur actu sapientiam percipiet. S. Ball. in regulis fufius disp. interrog. 41. Neque enim natura nostra plura simul assequi studia potest: multo que est præstabilius vnum modo solerter & industriè conficere, quam multa attentasse, quæ necessario postea sint relinquenda. Si quidem quæ ad res plures animus fit distractio, & mentis identidem modo ad hanc, modo ad illam applicatio, præterquam quòd opus nullum perfectè perducitur ad exitum finit, etiam morum leuitatem, vel si inest, arguit, vel si non inest, ingenerat.

*Carmina secessum scri-  
bentis & o-  
uia querunt*

§. De morum suauitate Eccl. 26. v. 13. In silis uinum quanto maius uertente se, firma custodiam: ne inuenta occasione vitaturus.

*§. Scrip-  
tura studium.*

Prouerb. 2. v. 3. vsque ad 7. Ad intelligenda verba prudentia, & suscipiendam eruditionem doctrina, iustitia & iudicium, & æquitatem; vt detur parualia stutia, adolescenti scientia, & intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum. Et cap. 8. v. 17. Ego diligentes me diligo: & qui maneant vigilent ad me, inuenient me.

§. De rerum auditarum intelligendi diligentia & ad res au-  
feria ad eam percipiendam, mentis applicatione Sa- ditas intel-  
pientia 6. v. 13. Clara est, & qua nunquam marcescit sapi- ligendū ani-  
entia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab m. serid ap-  
his, qui querunt illam. Ecclef. 6. versic. 34. Si inclinaueris plicandus.  
aurem tuam excipies doctrinam; & si dilexeris audire, sapiens  
eris. Et cap. 39. v. 1. 2. 3. Sapientiam omnium antiquorum  
exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem viro-  
rum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum  
finul introibit. Occulta Prouerbiorum exquiret, & in abscon-  
ditis parabolarum conuersabitur. Et Sanctus Ambrosius  
super Plal. 118. ferm. 10. Debet Sacerdos amplecti eum, qui  
secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhor-  
tari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Tit.  
1. v. 9. Quod vtique sollicita, atque intentia meditationis est, non  
perfuntoria lectionis. Et ad Timotheum scribens ait cap.  
4. v. 13. Attende lectioni, & exhortationi & doctrina. Lectio  
enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrina mu-  
nus operatur.

§. His addenda 1. diuinorum mandatorum obser- Alia diuina  
uatio & vitæ integritas. Deuteronom. 4. versiculo 6. sapientia co  
Et obseruabit is & implebitis opere. Hac est enim vestra sapientia gnoscenda  
& intellectus coram populis, vt audientes vniuersa precepta hæc, subsidia.  
dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Et cap. Probitas.  
29. v. 9. Custodite ergo verba pacti huius, & implete ea: ut in-  
telligatis vniuersa, quæ facitis. Ierem. 8. ver. 9. Confusi sunt: Dei caritas.  
verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.  
Ecclesiast. 1. versicul. 10. Et effudit illam super omnia opera  
sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præ-  
buit illam diligentibus se. Et cap. 21. vers. 14. Tanquam do-  
mus exterminata, sic fatuo sapientia & scientia insensati ine-  
narrabilia verba. S. Isidorus de summo bono libr. 3. cap.  
8. Lector strenuus potius ad agendum, quæ legit, quam ad scien-  
dum erit promptissimus. Minor enim poena est, nescire, quod  
appetas quam ea, quæ noueris, non implere.

§. Hu

Animi de-  
missio.

Lectura Scri-  
pturae utili-  
tas.

Studiū Ec-  
clesiasticis  
necessariū  
ut qua le-  
gant, intel-  
ligant.

Scriptura  
obscura &  
difficilis,  
hinc & Do-  
minus Ioa.  
5. versic. 38.  
Scrutami-  
ni Scriptu-  
ras.

§. Humilitas etiam Matth. 11. v. 25. Confiteor, fili Da-  
ve, Domine cœli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, &  
prudentibus, & revelasti ea paruulis. Isidorus Pelus. lib. 2.  
epist. 73. Sacrarum Scripturarum lectionem salutis viam  
esse existima, ut qua eorum, qui eam studiose, atq; diligenter  
audiunt: probitatis amorem, ac virile robur, praeclaris & illu-  
stribus exemplis parat. Et B. Isidorus Hispal. Episc. lib. 1.  
de summo bono c. 8. Geminum confert bonum lectio sacra-  
rum Scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, siue  
quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem  
Dei perducit. Quocirca Concil. Col. de off. priuato, et  
publico, c. 5. Hic satis est admonuisse, omnes pariter Ecclesia-  
sticis munus consecratos, ipsos precibus, supplicationibusq; iube-  
re Deo persoluendis mancipari. Quas ut non tantum ore ma-  
murent, sed & corde persoluant, nunquam à manibus eorum li-  
ber Legis, h. e. Biblia, deponatur. Nam, ut, qua legitur, & ca-  
nunt, discant intelligere, tota vita vix suffecerit: Si tamen quid  
est in literis sacris, quod totum humanus intellectus assequi pos-  
sit, aliis subinde diuitiarum fonticulis ex eodem fonte semper  
scaturientibus.

§. Quod hæc Synodus de Scripturae obscuritate  
affirmat, suo & calculo Sanctus Augustinus confirmat  
epistola 3. ad Volusianum. Tanta est enim Christia-  
norum profunditas literarum, ut in eis quod dicitur pro-  
ficere, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decre-  
pitam senectutem maximo ocio, summo studio, meli-  
ore ingenio conarer addiscere: non quo ad ea, qua  
necessaria salutis sunt, tanta in eis perueniatur difficul-  
tate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pro-  
recte que non viuunt, tam multa, tamque multiplici-  
bus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda pro-  
ficiantibus restant, tantaque non solum in verbis, que-  
bus ista dicta sunt, verum etiam in rebus qua intelli-  
genda sunt, latet altitudo sapientiae, & annosissimis  
acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc  
con-

contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Ecclesiast. 18. versicul. 6. Cum consummauerit homo, tunc incipit. Quæ tandem mens auida æternitatis, vitæque præsentis breuitate permota, contra huius diuinæ auctoritatis culmen lumenque contendat? Quæ disputationes, quæ literæ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum, duobus præceptis ex quibus Christus dicit totam legem, Prophetasque pendere, vlllo modo sint comparandæ; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & proximum tuum tanquam teipsum? Hic physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis, non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus: neque enim conditur & custoditur optima ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordia, cum bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum, Deus est, atque in illo inuicem syncerissimè se diligunt homines, cum propter illum se diligant, qui quo animo diligant, occultare non possunt. Modus autem ipse dicendi, quo sancta Scriptura contextitur, quam omnibus accessibilis, quamuis paucissimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuce ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quod non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascit, sed etiam secreta exercent veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quo-

*Duab. præceptionib. omnem Scripturam scientiam comprehendit.*



quodammodo renouantur, renouata suauiter in-  
manantur. His salubriter & praua corriguntur, & parua  
nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huius  
doctrinae inimicus est animus, qui vel errando eam ne-  
scit esse saluberrimam, vel odit aegrotando medie-  
nam.

¶ Et eam ob rem, ut diuinæ Scripturæ & sacrae Theo-  
logiæ vacare possint Clerici tot extant canones, ut li-  
cularibus negotiis aut professionibus se non admiscer-  
ant. De curiositate vitanda. Eccles. 3. v. 22. 23. 24. 25.  
*Altiora te ne quaeris, & fortiora te ne scrutatus fueris: Quia  
qua praecepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus  
eius, ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quae  
abscondita sunt, videre oculis tuis. In superuacuis rebus non  
scrutari multipliciter, & in pluribus operibus non eris curiosus.  
Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Rom. 12. v. 3.  
Dico per gratiam qua data est mihi, omnibus qui sunt  
inter vos. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad  
sobrietatem, sicut unicuique, Deus diuisit mensuram fidei. Quis  
affirmet: Per spiritalem gratiam & sapientiam ac apostolatum,  
quæ mihi diuinitus tributa sunt, hortor &  
suadeo, ne in rebus fidei perscrutandis sitis curiosi, ut  
sentire & docere plura velitis, quam sana fides docet  
at aut permittit, ut explanat S. Irenæus libr. 5. c.*

20. B. August. epist. 47. & D. Gregor.

homilia 3. in Ezechie-  
lem.

